



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 160. Vtrum eucharistia prosit alijs, quàm sumentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

& per se, in quantum est sacramentum, non remittit poenam. Dixi, quod eucharistia, in quantum est sacramentum, non habet vim satisfactiuam, adeoque non remittit poenam. primo, & per se, quia in quantum est sacrificium, est satisfactiuum, adeoque confert remissionem poenæ primò, & per se, vt explicabitur inferius suo loco.

5. Infertur, quod eucharistia in quantum est sacramentum ex opere operato, nihil aufert poenæ debitæ peccatis iam remissis quoad culpam, Ratio est, quia eatenus tantum eucharistia potest auferre poenam ex opere operato, quatenus potest auferre peccata venialia, quæ in hac vita nunquam auferuntur, quin remittatur aliquid poenæ illis debitæ; ergo eum peccata iam sunt remissa quoad culpam, eucharistia non potest ex opere operato remittere aliquid poenæ.

QVAESTIO CLIX.

Virum eucharistia præseruet à peccatis futuris?

S. Thomas qu. 79. art. 6.

1. **E**st communis sententia S. Thomæ hic qu. 79. art. 6. cum omnibus scholasticis, quod eucharistia præseruet à mortalibus futuris, eamque doctrinam definiuit Tridentinum sess. 13. cap. 2. dicens, eucharistiam sumi vt antidotum, quò liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruamur. Rationem affert S. Thomas, & simul explicat modum, quo eucharistia præseruat à peccatis mortalibus. Peccata mortalia sunt mors animæ; sed eucharistia præseruat à morte animæ; ergo &c. Probatur minor. Sicut enim mors corporis causatur à causis intrinsicis, nimirum à calore consumente humidum, & ab intemperie humorum, vel à causis extrinsicis, ex. gr. ab hostibus; sic mors animæ potest causari tum à causis intrinsicis, ac præsertim à concupiscentia, tum à causis extrinsicis, hoc est à tentationibus dæmonum; sed eucharistia præseruat à morte animæ illata, tum à causis intrinsicis, tum ab extrinsicis; ergo &c. Probatur minor. Præseruamur à morte causata ab intrinseco, tum per cibum, tum per medicinam; sed eucharistia est sacramentum institutum per modum cibi, & medicinæ; ergo &c. Rursus arma, quæ habent vim fugandi hostem, præseruant à morte illata à causis extrinsicis; sed eucharistia est signum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, & ideo habet vim fugandi dæmones, & impediendi eorum impugnationes; ergo &c.

2. Infertur sacramentum eucharistiæ dupliciter præseruare à mortalibus. Primò præseruat, in quantum per modum cibi confirmat cor hominis in bono, & dat vires ad resistendum motibus concupiscentiæ, & ten-

tationibus dæmonis, quæ vires consistunt in specialibus auxilijs, ad quæ eucharistia datus: secundò in quantum fugat dæmones, & liberat ab eorum tentationibus. Posset quis existimare, quod eucharistia habet etiam vim præseruandi à mortalibus per hoc, quod minuat fomitem concupiscentiæ. Sed S. Thomas in responsione ad septimum docet sacramentum baptismi, non autem sacramentum eucharistiæ habere directè vim minuendi fomitem concupiscentiæ, eucharistiam autem habere hanc vim solum indirectè. Ratio est, quia eucharistia auget charitatem; sed augmentum charitatis, per quam adhaeremus bono incommutabili, est imminutio concupiscentiæ, seu cupiditatis, per quam adhaeremus bonis commutabilibus, vt docet S. Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 86. ergo eucharistia indirectè minuit fomitem concupiscentiæ.

QVAESTIO CLX.

Virum eucharistia proficit alijs, quàm sumentibus?

S. Thomas qu. 79. art. 7.

1. **E**xplicatis effectibus, quos eucharistia causat in sumentibus, sequitur, vt examinemus, vtum possit causare aliquem effectum etiam in non sumentibus. Dicendum cum S. Thoma hic, quod eucharistia vt sacramentum ex opere operato prodest soli sumentis, in eoque solum causat suos effectus: vt sacrificium prodest non soli sumentis, sed etiam alijs, pro quibus offertur. Prima pars probatur. Nam sacramenta causant solum illos effectus, quos significant; sed solum significant sanctificationem sumentium; ergo causant solum sanctificationem sumentium, ac solis sumentibus profunt ex opere operato; ergo etiam eucharistia in quantum est sacramentum, ex opere operato prodest solis sumentibus. Confirmatur: nam eucharistia est sacramentum institutum per modum cibi, & potus; sed cibus, & potus profunt solis sumentibus; ergo eucharistia ex opere operato prodest solis sumentibus.

2. Secunda pars probatur. Nam sacrificium ex opere operato prodesse potest omnibus, pro quibus offertur; sed eucharistia, vt sacrificium offertur non pro solis sumentibus, sed etiam pro alijs; ergo &c. Quod eucharistia vt sacrificium offeratur pro sumentibus, probat S. Thomas ex illis verbis canonis, *vt quotquot filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione, & gratia repleamur.* Quod offeratur etiam pro alijs probat, quia in eodem canone dicitur: *memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.* Confirmatur: nam Christus Matth. 26. & Luca 22. instituens eucharistiam dixit, *qui*

pro

pro vobis, scilicet sumentibus, & pro multis, videlicet etiam non sumentibus, effundetur in remissionem peccatorum; ergo eucharistia, vt est sacrificium, offertur, & pro sumentibus, & pro non sumentibus, ideoque etiam non sumentibus prodesse potest ex opere operato.

3. Inferitur, quod cum quis sumit eucharistiam pro alijs viujs, aut defunctis, talis communicatio prodest alijs solum ex opere operantis, non autem ex opere operato. Non prodest ex opere operato, quia sicut sumptio baptismatis non potest alijs prodesse ex opere operato, sic neque sumptio eucharistiæ. At prodest ex opere operantis, quia sumptio eucharistiæ est actus religionis, & in tali sumptione solent exerceri actus charitatis, & deuotionis; sed actus charitatis, & deuotionis sunt meritorij, & satisfactorij, ideoque eorum satisfactio potest alijs applicari, ac potest etiam alijs prodesse per modum meriti de congruo, atque impetrationis; ergo &c. Quia verò eucharistia habet vim excitandi in dignè sumentibus actum charitatis, qui est magis satisfactorius, meritorius, & impetratorius, quam ceteri actus virtutum, ideo communicatio potest specialiter prodesse alijs ex opere operantis.

4. Inferitur secundò, quod sicut eucharistia differt ab alijs in hoc, quod non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium, sic differt, quod cum alia sacramenta ex opere operato prodesse possint solis sumentibus, eucharistia prodesse potest ex opere operato etiam alijs, licet illis proficit, non vt sacramentum, sed vt sacrificium.

QVÆSTIO CLXI.

Virum per peccatum veniale impediatur effectus eucharistiæ?

S. Thomas qu. 79. art. 8.

1. **R**espondet S. Thomas per peccatum veniale habituale nullum impediri effectum etiam secundarium eucharistiæ. Ratio est, quia licet quis ante sumptionem eucharistiæ sit habitualiter in peccato veniali, potest ita deuotè accedere ad eucharistiam, vt consequatur omnem effectum primum, & secundarium eucharistiæ. At peccatum veniale, quod actu committitur in sumptione eucharistiæ, impedit effectum secundarium eucharistiæ. Ratio est, quia effectus secundarius eucharistiæ est quædam spiritualis dulcedo, & quidam feruor charitatis; sed peccatum veniale, dum actu committitur, impedit spirituales dulcedinem, & feruorem charitatis; ergo &c.

2. Ex eo, quod peccatum veniale, dum actu committitur, impedit effectum secundarium eucharistiæ, inferunt aliqui esse nouum peccatum veniale accedere ad eucha-

ristiam, committendo peccatum veniale in ipsa sumptione. Vaquez tamen disp. 204. quitur oppositam sententiam, & cenet, quod sumere eucharistiam, committendo peccatum veniale in ipsa sumptione, non est nouum peccatum veniale.

QVÆSTIO CLXII.

Virum eucharistia causet aliquam peculiarem vnionem carnis nostræ cum carne Christi?

1. **Q**uidam Theologi, quos refert Vaquez disp. 204. cap. 1. dixerunt per dignam sumptionem eucharistiæ nos acquirere quidem vnionem affectiuam charitatis cum Christo, sed non acquirere vllam aliam vnionem realem carnis nostræ cum carne Christi. Parum ab hac opinione recessit Petrus Martinus, qui in commentario epistolæ Iudæ, loco 13. docuit vltra vnionem per charitatem, carnem Christi, cum sumitur in eucharistia, non acquirere aliam vnionem realem cum carne nostra, quam ratione specierum, quæ tamen vnio tantum solum durat, quando Christus manet sub speciebus in stomacho, cum autem Christus corruptis speciebus, non amplius manet in stomacho, non manet amplius hæc vnio, sed solum alia, quam vocat virtuales, & consistit in auxilijs ex eucharistia deriuatis, & exhibentibus membra nostra arma iustitiæ in sanctificationem.

2. Dicendum cum Rossensi lib. 4. contra Oecolampadium, cap. 21. & 32. & lib. 5. in principio, Hosio in confessione catholica, cap. 42. Clitovazo lib. 2. contra Oecolampadium, cap. 12. & 18. Iansenio in concordia euangelica, cap. 59. Francisco Turriano lib. 1. de eucharistia, cap. 8. & 9. Claudio Sainctes repet. 5. de eucharistia, cap. 1. & 2. Cardinali Alano lib. 1. de eucharistia, cap. 8. & ex professo cap. 28. Thoma Vvaldensi tom. 2. de sacramentis, cap. 58. & 59. Turrecremata in canonem *In Christo Pater* de consecratione dist. 2, & alijs quos refert, & sequitur Vaquez disp. 204. cap. 2. probabilius est, quod per eucharistiæ sumptionem non solum causetur in nobis vnio charitatis, qua sumus vnus spiritus cum Christo, sed etiam peculiarem vnioem carnis nostræ cum carne Christi, qui fiant vna caro, & quæ perseueret, corruptis speciebus, & Christo secundum suam substantiam intra stomachum non permanente.

3. Probatur primò ex Patribus, nimirum Irenæo lib. 4. aduersus hæreses, cap. 34. num. 13. Cyrillo hierosolymitano cath. 4. mystag. cap. 37. Chrysostomo Homilia 45. in Io. & Homil. 55. 56. & 61. ad Pop. Cyrillo Alexandrino lib. 1. in Io. cap. 13. & lib. 4. cap. 16. & 17. & lib. 10. cap. 13. & lib. 11. cap. 27. Damasceno lib. 4. de fide, cap. 14. Leone primò epist. 13. & refertur de consecratione dist. 2.